

# Erezione della Provincia ecclesiastica di Pescara-Penne

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad maiorem quidem spectantes utilitatem Christifidelium in regionibus Aprutina ac Molisina degentium, sacrorum Antistites pastoresque eis praepositi haud ita pridem ab Apostolica hac Sede poposcerunt ut, ad mentem ipsius Decreti « Christus Dominus » sub n. 40, tum dioecesis Pinnensis-Piscariensis ad Sedis metropolitanae gradum eveheretur tum nova Provincia ecclesiastica constitueretur. Item petivit Episcopus talis Ecclesiae ut eiusdem insuper appellatio, ratione habita dioecesanae maioris momenti portio et quidem ipsius urbis frequentius habitatae, in Piscariensem-Pinnensem idcirco commutaretur.

Quapropter, cum et constet commune optatum in ipsis eorum votis esse, quorum interest vel interesse censeatur, legitimis de his rebus precibus Nobis adhibitis concedendum esse decernimus atque de plenitudine Apostolicae potestatis Nostrae ea, quae sequuntur, per has Litteras statuimus et iubemus.

Cathedralem Ecclesiam, quam diximus, Pinnensem-Piscariensem, hucusque Apostolicae Sedi immediate subiectam, nunc ad Ecclesiae metropolitanae dignitatem extollimus eique et nomen mutamus in Piscariensem-Pinnensem et iura et privilegia conferimus, quae ad ius commune omnium huiusmodi dignitatis Ecclesiarum sunt propria.

Uno vero eodemque tempore ecclesiasticam Provinciam, cui nomen Piscariensis-Pinnensis ex integro constituimus, ita ut posthac constet tum metropolitana Ecclesia Piscariensi-Pinnensi tum Ecclesiis ei suffraganeis Teramensi et Atriensi aequae principaliter unitis hactenusque Apostolicae Sedi immediate subiectis.

Ipsam autem Piscariensem-Pinnensem pro tempore Antistitem Nos perpetuo Metropolitanae nomine insignimus iuribusque exornamus et privilegiis, quibus ceteri in catholico orbe Metropolitanae secundum ecclesiasticas leges fruuntur, quorum tamen et oneribus et officiis eum ipsum adstringimus.

Insimul ad altiorem metropolitanorum honorem etiam reverendum Collegium Canonorum Ecclesiae Piscariensis-Pinnensis evehimus. Praeterea Venerabilem Fratrem Antonium Jannucci in praesentia Episcopum Piscariensem-Pinnensem, Archiepiscopum ac Metropolitam eligimus facimus renuntiamus, iuribus videlicet et privilegiis praeditum oneribusque simul et officiis devinctum Metropolitanarum Praesulum propriis.

Quae hic praescripsimus, ea ad effectum adducantur a Venerabile Fratre Vincentio Fagiolo, Archiepiscopo Theatino atque Praeside Conferentiae Episcopalis Aprutinae et Molisinae, quem deputamus cuique necessarias et opportunas facultates facimus, etiam talis mandati alicui viro in ecclesiastica dignitate constituto subdelegandi, salvo utcumque officio curandi ut, executione peracta, actorum documenta exarentur eorumque certa ac vera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis transmittantur.

Has porro Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

+ AUGUSTINUS CARD. CASAROLI  
*a publicis Eccl. negotiis*  
*Praefectus*

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO  
*Sacrae Congregationis pro Episcopis*  
*Praefectus*

MARCELLUS ROSSETTI, *Proton. Apost.*

LIBORIUS SCACCIA, *Proton. Apost.*

## Riordinamento della Provincia ecclesiastica di Chieti

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fructuosae Ecclesiae administrationi et catholicorum bono spirituali non parum prodest circumscriptiones ecclesiasticas iusta ratione constitui. Quod considerantes Sacrorum Antistites regionis Aprutinae et Molisinae, atque normis Decreti Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus », n. 40 obsequentes, ab hac Apostolica Sede postulaverunt ut provinciae ecclesiasticae Theatinae fines opportune recognoscerentur.